



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio III. Vtrùm Christus sit meritis actibus virtutum moralium infusarum,
& naturalium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

fert à fide: hæc enim nec in habitu manet, nec in actu, pro qua subrogatur lumen gloriæ, & scientia infusa. De perseverantia autem eiusdem numero actus quid potest esse certum? Lumen gloriæ repræsentat Deum sub omni attributo, & relatione ad intra, qui in via non repræsentatur ea ratione: ergo à lumine gloriæ non conservatur amor viæ. Probo consequentiam: quia hic amor non amat expressè & singillatim omnia prædicata Dei; quia in via non ita noscuntur: amor autem patriæ amat singillatim omnia prædicata Dei: quia omnia attinguntur expressâ cognitione: ergo non potest conservari in patria immediatè per visionem amor ortus à fide. Deinde quoruscumque viator conservat in morte actum priorem? an mortis deliquio non corripimur? & sensus hebetantur? & animus auertitur à cognitionibus, quæ sint principium actuum moralium? an emigratio in aliam vitam est tam facilis, ut non intermittat actus priores, qui integra valetudine facillimè auolant?

§. 38. Pone, non intermitti eos actus. Respondeo manere posse priorem charitatis actum dependentem non à lumine gloriæ, sed à scientia infusa, repræsentante idem obiectum, quod fides repræsentabat sublatâ quidem obscuritate. Absolutè autem ego existimo nullum actum charitatis viæ in patria manere: quia mutatis cognitionibus, mutantur affectus. In Christo autem, eiusque matre perseverarunt actus charitatis viæ; in Christo, quia habuit eandem visionem Dei in via; in Maria verò, quia habuit scientiam infusam: pro fide autem subrogatum est lumen, & pro amore ex fide ortus, amor beatificus; scientia autem infusa, & amor inde derivatus non habuerunt mutationem, nisi fortè in intentione.

§. 39. Ad Tertiam probationem ex eodem §. 28. alibi ostendi actus voluntatis specie differre per ordinem ad cognitiones, à quibus dependent immediatè: quia in definitione voluntarij constituntur, & obiectum, & cognitio: est enim voluntarium à principio intrinseco cognoscente singula: esto verè non distinguantur. Sunt alia capita distinguendi specie amores Dei. Primum, obiectum formale, ut dixi §. 33. & 36. Secundò, obiectum secundarium, quod quidem physicè distinguit actus in specie.

§. 40. Ad Quartam probationem, deglutunt aliqui integrum camelum, constituentes in naturalibus unum habitum simplicem, qui est principium plurium actuum specie distinctorum, ut in Logica ab eodem simplici habitu sunt cognitiones de tam diuersis obiectis. Item ab eodem habitu philosophiæ cognitiones de quatuor elementis; & ab eadem temperantia fiunt actus circa victum, potum & tactum. quis autem dubitet temperantiam castitatis distingui specie à temperantia à vino? item peccata contra eos duos actus esse specie distincta? Hunc autem excolant culicem in habitibus per se infusis. fides exercet plures actus specie distinctos, unum circa veritatem Dei, qui est Theologicus; alium circa existentiam reuelationis, qui non est Theologicus; tertium circa mysterium reuelatum. Item reuelationes sunt specie distinctæ. quis enim dubitet testimonium Dei de Trinitate specie distingui à testimonio de origine mundi? illa enim testimonia sunt de obiectis formalibus specie distinctis: hos tamen actus amplectitur idem habi-

tus fidei infusa: ergo & charitas potest exercere plures actus specie distinctos. s. Thomæ
9. 19. a. 3.
6. 4.

§. 41. Habitus infusus specificatur non ab uno actu in specie, sed à tota collectione, quamvis includat multas actuum species. Quod contingit potentijs naturalibus: nec enim visus specificatur adæquatè à solius visione lucis, nec à visione lucis atque candoris, sed à tota collectione visionum. Idem reperies in intellectu, & voluntate. habitus autem infusi hac in parte imitantur potentias: quia ut illæ non comparantur physicè per actus; ita neque hi habitus autem acquisiti, quia physicè comparantur per actus, non possunt inclinari ad aliam speciem actuum, nisi per quam comparantur: quia circa illam solam reddunt potentiam facilem, non circa alias.

§. 42. Ad Quartum ex §. 29. respondeo idem obiectum propositum voluntati per diuersos actus intellectus posse multos affectus terminare: ut repræsentatum intellectui per plures species impressas potest plures expressas terminare. Præterea illæ diuersæ cognitiones sunt de eodem obiecto realiter, siue à parte rei; non tamen de eodem formaliter. item nec realiter de eisdem obiectis secundarijs; ut dixi §. 32. & 33. quid igitur mirum plures affectus circa idem versari?

§. 43. Dico Secundò, omnes actus ortos ab hac scientia infusa esse Christo plenè liberos. Primum quidem quoad exercitium indiuiduorum. Secundò, quoad indiuiduationes omnium, quia omnes illos potuit omittere. Tertio, quia potuit illos omnes per omissionem positivam recusare. A qua sententia nullus discedit: quia Deus ut cognitus abstractivè non infert necessarium sui amorem: hoc enim est proprium scientiæ beatæ. Nec item Christo lata fuit lex de illis exercendis, neque consilium insinuatum. Deo enim satis fuit à Christo exerceri actus charitatis Theologica, quibus infinita intentione amatur à Christo, derivatos à scientia beatâ, quibus Christus fuit coniunctus voluntate creaturae ultimo fine unione perfectissima inter omnes, quæ possunt excogitari in hoc ordine gratiæ: at creatura ita perfectè coniuncta ultimo fini est perfectissima: ergo ex nullo capite illi actus fuere necessarii; quia nec imperati fuere, nec consulti.

SECTION III.

Vtrum Christus sit meritis actibus virtutum moralium infusarum, & naturalium?

§. 44. **C**hristum posse exercere hos actus, qui de se sunt imperfecti, absque imperfectione ipsius Christi, ostendi disp. 61. §. 29. Difficultas autem est, vtrum isti actus se solis meritorij sint absque actuali illorum in Deum relatione? Partem affirmatiuam asserui vol. 3. disp. 145. §. 4.

§. 45. De actibus naturalibus virtutum posset item esse difficultas. Iam ostendi vol. 3. disp. 146. §. 32. hos actus non esse meritorios præmij supernaturalis, sed tantum naturalis. Vnde deduco, in Christo eos esse incapaces, ut dignificentur ad supernaturalia præmia; ad naturalia verò possunt: Christus actu aliquo supernaturali potest eos actus referre in finem honestum: à qua relatione possunt esse

S Thom.
9. 19. a. 3.
6. 4.

esse meritorij supernaturaliter; non quidem ob intrinsicam moralitatem, sed ob extrinsecam relationem, sicut sunt meritoria actiones externa Christi.

§. 46. Idem dico de actibus liberis indifferentibus: si enim possunt esse, quin sint in individuo materiali, possunt exerceri à Christo, & extrinsecus in Deum charitate referri, vt possunt actiones externa de se indifferentes: quæ tunc iam non sunt indifferentes, sed bonæ. Pone opinionem S. Thomæ, non posse esse actus indifferentes in individuo; ea esset vera, quando illi actus carerent honesto fine: si autem ad finem referantur honestum, iam non sunt indifferentes, sed boni: ille enim finis non est amatus intrinsicè illis actibus: iam enim non essent indifferentes in specie, sed boni: opus ergo est, vt ille finis sit extrinsecus, amatus alio actu referente ad illum actum intrinsicè indifferentem.

SECTIO IV.

De valore meritorum Christi.

§. 47. **F**requenter adscribitur Scoto, Durando, & alijs opinio negans operibus Christi dignitatem ad præmium, nisi per extrinsecam Dei acceptationem. Iam ostendi disp. 11. §. 5. nec Scotum, nec Durandum, nec Nominales negasse operibus vim æstimabilem ad impetranda præmia; sed vim eam necessariò impetrandam absque voluntate Dei, & pacto: Scotus enim non constituit quoduis opus acceptabile, sed illud præcisè, quod oritur efficienter ab habitu gratiæ: ergo admittit in operibus aptitudinem ad acceptationem; vt constat ex Scoto in 1. dist. 17. q. 1. art. 1. vers. *Sed tunc est vltimus dubium*; & probat Faber in 3. disp. 42. n. 8. & 14.

§. 48. Hæc controuersia inter S. Thomam & Scotum, est illa, quæ inter Patres Franc. Suarez & Gabr. Vasquez, vtrum ad rationem meriti exigatur Dei pactum. affirmat prior; negat secundus: ego litem composui: æstimationem, & dignitatem amoris non pendere à pacto Dei, sed ab actibus, vt exercentur hic & nunc: at verò actuale impetrationem præmij, & vim eam re ipsa obtinendi, pendere ab acceptatione Dei. ob quod Scotus dixit opera Christi esse infinito valore condignè ex Dei acceptatione; congruè autem ex circumstantia personæ infinitæ, vt ostendit Faber in 3. disp. 45. num. 20.

SVBSECTIO I.

Opera Christi sunt valoris infiniti.

§. 49. **D**ico Primò: Opera Christi sunt infinito valore ad impetranda præmia. Hæc conclusio sic proposita non potest turo negari; non solum quòd in eam conueniunt omnes Theologi; sed quia ita statuitur c. *Vnigenitus*. extrau. de pœnit. & remiss. Vbi asserit Clemens VI. nobis esse in Christi sanguine thesaurum infinitum. Controuersia autem potest esse, vtrum sit thesaurus infinitus simpliciter; an verò secundum quid? item, an ex sua natura? vtrum autem ex Dei acceptatione? Fundamentum est infinita dignitas & sanctitas personæ Christi. quod fusè probaui disp. 1. sect. 3. de quo constabit §. 51.

§. 50. Dico Secundò: Hæc infinitudo non oritur ex Dei acceptatione, sed ex ipsa vnione hypostatica; ita vt condignitas infinita se teneat ex parte operum; & acceptio autem sit ad actualem præmij collationem, & vim obligandi Deum; non verò æstimationem, & complacentiam meritorum, vt dixi §. 47. Probat ex eodem c. *Vnigenitus*, extrau. de pœnit. & remiss. Clemens VI. ostendens nos esse redemptos fluuio sanguinis Christiani, non gurta, ait: *Quem (sanguinem) in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam: qua tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, &c.* infra: *Vt sic sit infinitus thesaurus*. ergo ab vnione hypostatica deriuatur hæc infinitudo operibus Christi, quæ sufficiens est ad satisfaciendum pro omnibus peccatis: acceptio autem, quam exigit Scotus, est ad vim obligandi actus: nam si in illa sola constitueretur dignitas meritorum, damnata esset ea sententia hoc decreto Clementis:

§. 51. Ratio autem est aperta. Obsequia accipiunt valorem ex eodem capite, quo æstimationem: sed æstimationem accipiunt ex intrinsicæ perfectione, & dignitate, & sanctitate personæ operantis: ergo inde accipiunt etiam valorem. Minor est à me probata disp. 11. à §. 6. Ratio item est: quia non solum æstimatur actus meritorius, sed etiam persona illum exercens: vt enim amicitia terminatur non ad solam gratiam, sed etiam ad naturam: ita complacentia in meritum non solum in illud terminatur, sed etiam in personam. estque ex terminis clarum: apud hominem prudentem plurius æstimantur preces viri principis, quàm plebeij; nobiles item edito eodem facinore plus apud regem mereri, quàm militem gregarium. De quo fusius disputaui in merito in commune.

§. 52. Dico Tertio: Opera Christi sunt quidem finita in ratione entis; infinita tamen simpliciter in ratione meriti: id est, entitas meritorum in recto significata est finita; valor autem in obliquo significatus, quod est Verbum vnitum humanitati, est infinitus: ob quam merita sunt digna æstimatione infinita, & infinito præmio. Probata res est disp. 10. sect. 3. à calculatione, alijsque capitibus. Hic probatur ex §. 51. obiectum æstimabile, & mouens ad præmium non est opus bonum dumtaxat, sed etiam sanctitas dignitasque personæ: sed hæc dignitas in se est infinita: & quamuis non reddat humanitatem tam bonam, quàm ipsa est, propter modum imperfectum, quo illi vnitur (vt ostendi disp. 47. §. 144.) at eam reddit sanctam simpliciter, vt ibidem dixi §. 140. & 149. ita ex Verbo & humanitate vt sancta per illud, item & ex opere bono conflatur vnum obiectum æstimabile, & amabile infinitè: vniò autem humanitatis ad Verbum censetur moraliter informare merita: quia perinde est ad illorum valorem, ac si esset illis vnita physice: quia obiectum amoris terminati ad opus vt meritorie bonum, non est entitas sola ipsius operis; sed dignitas etiam aut sanctitas personæ: at dignitas & sanctitas personæ Christi est infinita simpliciter, & reddit humanitatem infinitè sanctam: ergo obiectum illius amoris in Christo est infinitè amabile & æstimabile: & quia vt vnitum humanitati reddit hos effectus in opere bono, ided dicitur moralis illius forma. Nec hæc de re oportet hic plura disputare: sunt enim communia merito condigno vt lic.